



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri  
Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

LXXII. De zelo bono, quem debent habere Monachi. Per zelum ad cælum  
Monachi cor tendat anhelum; In Christo vitam noverit esse sitam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

30. APRIL. 30. AUG. 30. DECEMB.

CAPUT LXXII.

*De zelo bono, quem debent habere  
Monachi.*

**S**icut est zelus amaritudinis *a* malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum; ita est zelus bonus, qui separat à vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore *b* exerceant Monachi: id est, ut honore se invicem præveniant; infirmitates suas, sive corporum, sive morum, patientissime tolerent *c*; obedientiam sibi certatim impendant *d*. Nullus, quod sibi utile *e* judicat, sequatur; sed quod magis alii *f*. Charitatem Fraternalitatis *g* casto *h* impendant amore; Deum timeant *i*; Abbatem suum sincerâ & humili charitate *l* diligant; Christo omnino nihil præponant *m*, qui nos pariter ad vitam æternam perducat, Amen. *n*

a) Puta, invidia, ira, vindicta &c.

b) Erga Deum & proximum.

c) Co-

- c) Cogitando, plures fortè & majores in se  
reperiri defectus, ab aliis supportandos.
- d) Id est, ità exhibeant, ut alter alterum  
in eâ studeat vincere.
- e) Proprium hoc interesse, ut vulgò nomi-  
natur, est mater proprietatis, multarum  
inordinationum radix, ac pestis Religionis.
- f) Præsertim Communitati: bonum enim  
publicum prævalere debet privato.
- g) Seu fraternam.
- h) Subintellige, sibi invicem. Repugnat  
autem casto huic amoris omnis levitas, scur-  
rilitas, dissolutio, manuum injectio, clan-  
destina familiaritas &c.
- i) Utpote qui juxta Prophetam Regium etiam  
justitias judicabit, quantò magis peccata?
- l) Alii legunt, sincerâ humilitate.
- m) Quia nec ille nobis quidquam præ-  
posuit, ait S. Cypr.
- n) Vox Hebræa est, hîc idem significans,  
quod fiat, & spem ac desiderium SS. PA-  
TRIS N. pro nobis demonstrans.